



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

35 Iudex laicus est incapax cognitionis causae juris patronatus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

eod. comment. ¶ vers. quod verò hæc.

33 Quid autem, si ex alio delicto universitas bonorum alicujus habentis juspatronatus per judicem laicum confiscaretur? An transeat cum universitate bonorum? & videtur, quòd sic, per gloss. in cap. filius, in ver. propinquus, 16. quest. 7. quam sequitur. Abb. in cap. quanto, num. 9. de jud. & in cap. cum laici, & cap. nobis, num. 3. de jur. patr. & Roch. de Cur. in tractat. de jur. patr. sub ver. ipse, vel 15. n. 66. 67. & 68. contrariam tamen opinionem tenet. gloss. in clem. pastoralis. in verb. subiectæ, quam sequitur, Abb. n. 13. ubi etiam Jac. & Imol. de re jud. Felin. in eod. cap. quanto, num. 3. de jud. Card. in clem. 2. quest. 8. de jur. patr. & Jas. l. si non sortem, §. libertus, num. 25. ff. de cond. indeb. & novissima post Simanc. & Gigan. Caball. in cent. resolut. crimin. cas. 40. sub num. 8. & hæc est communis opinio, à qua in judicando non est recedendum, quia melioribus rationibus est fulta Non enim valuit confiscatio in odium regis Roberti facta ab Imperatore de feudo, ex quo feudum non erat temporale, d. clem. pastoralis, de re jud.

34 Nam juspatronatus, si non merè spirituale, est tamen spirituali annexum, c. quanto, & ibi gloss. & Abb. num. 1. & Felin. num. 3. de jud. cap. de jure, extr. de jur. patr. & Roch. de Cur. in tract. de jur. patr. super verb. jus, num. 2. & conexorum idem est iudicium, cap. translato. de constit. dict. cap. quanto, & cap. de jure, & sequitur naturam spiritualis, quia juspatronatus causæ, non nisi à iudicibus ecclesiasticis valent diffiniri, d. cap. quan-

to, in fin. & ibi Abb. nu. 3. & num. 6. de jud. & Roch. de Cur. eodem num. 2.

35 ¶ Ideò, cum iudex laicus sit incapax cognitionis causæ juspatronatus, licet possit confiscare universitatem bonorum profanorum, secus tamen est de bonis spiritualibus, aut spirituali annexis, quæ spirituali tantummodò jurisdictioni subijciuntur, cum ei non liceat falcem suam in alienam messem imponere, & imponendo, gesta nulla, irrita, & inania esse noscantur, d. clem. pastoralis, §. cum, & si. & §. ut igitur, de re jud. & quòd ad juspatronatus, sententia iudicis laici condemnatoria est nulla, & non nocet condemnato, quia, quòd nullum est, nullum sortitur effectum.

36 Amittitur tamen si juspatronatus per confiscationem omnium bonorum auctoritate iudicis ecclesiastici factam, non autem quòd juspatronatus transeat in fiscum, quia talis translatio esset præjudicialis Ecclesiæ, in cuius favorem, deficientibus successoribus, extinguitur juspatronatus, sed remanet beneficium liberum, & ad liberam collatoris dispositionem, ut tenent Card. Imol. & Ant. quos refert Roch. de Curt. dicens, hanc opinionem, quòd Ecclesia remaneat libera, esse æquiolem, super eod. ver. ipse, vel 15. n. 36. & si transiret in fiscum periret spes libertatis beneficii, quia fiscus nunquam moritur, & eadem ratione juspatronatus non transiret in fiscum cum universitate bonorum propter crimen hæresis, sed liberatur beneficium, ut per Felin. in eod. cap. argentis, de hæret. cum aliis supra allegat.